

Verone et aliis quibuscumque rectoribus vel officialibus eorum seu causam ab eis vel a dictis communibus habentibus quacumque ratione vel causa, et etiam ab omnibus et singulis factionibus et oneribus realibus et personalibus impositis vel decetero imponendis quocumque nomine censeantur.

Item quod eidem domino Vivario dentur omni mense a die qua acceptaverit et gratificaverit istam pacem in antea, toto tempore vite ipsius domini Vivarii, floreni centum de auro cum integritate et effectum ac expedite, vel nuntio eiusdem, de pecunia et introitibus communis Vincentie seu de camera dictorum dominorum de la Scala. Sed persona dicti domini Vivarii, pro omni suspicione et scandalo evitandis, manere debeat extra districtus Vincentie et Verone ubicumque voluerit sine rebellione dictorum dominorum de la Scala et communis Vincentie.

Item quod infrascripti vincentini, qui fuerunt sequaces dicti domini Vivarii in novitate predicta, libere, et expedite restituatur in bonis et possessionibus suis, que tenebant et possidebant tempore novitatis ipsius et eis gaudere possint et debeant pacifice et quiete, et insuper sint et esse debeant liberi et immunes cum laboratoribus et habitatoribus suis ratione et occasione bonorum et possessionum suarum hinc ad quinque annos proxime venturos ab omnibus et singulis factionibus et oneribus, realibus et personalibus dictorum dominorum de la Scala et communis Vincentie quo cumque nomine censeantur. A dicto vero termino in antea tractentur communiter in omnibus sicut alii cives, quorum nomina sunt hec. Franceschinus Marcabrunus et Zanzinus de brugnolis. Bonifacius de Tresseno. Pax dominus Zufredus Zuchetus et Meliorantia de Tresseno. Domus de bello et consortes ejus. Puragre. Liberalis frater ejus. Gerardinus olim domini Jacobi. Zoanetus. Petrus canna et boni omnes de Marano. Petrus de Melledo et filius. Johannes de Vivario. Bartholameus et Johannes de Parinaltis. Novellus Ganzerra. Bonifacius de rotariis. Andreas de Montemedio et fratres. Salamon de cresulis. Guillelmus